



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Bono Sodalitatis Partheniæ, Et Officiis Sodalium Erga Deiparam Patronam

Bourgeois, Jean

Antverpiæ, 1622

Cap. 15. De frequentando Pœnitentiæ Sacramento.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48699)

bus amplificari, nisi & breuitati consu-
lendum esset, & lectorum ingenijs mi-
nimè diffidendum.

CAPVT XV.

*De frequentando Pœnitentiæ Sacra-
mento.*

*Esther 10.
v. 6.*

Esther, quæ Reginæ nostræ figuram
prætulit, visa est in somnis Mardo-
chæo, veluti fons paruus qui creuit in flu-
uium maximum, & in aquas plurimas redun-
dauit, imò & in lucem solemq; conuersus est.
Liceat mihi nunc eum fontem interpre-
tari purissimum ac defæcatissimum Dei-
paræ cruoris liquorem, quem efforman-
do Filij Dei corpusculo, in aluo sua inte-
merata suppeditauit, cum obumbrante
Patre cælesti, superueniente Spiritu san-
cto, ipse Deus Filius, intra eius viscera, ex
eo fonte corpus sibi membris omnibus
organisque distinctum adaptauit, ani-
maque nobilissima informatum, diuinæ
personæ copulauit. Tum exiguus ille
fons, Deiparæ cruor, in lucem solemque
deitatis conuersus est, ab ea sanctifica-
tus ac deificatus, & ad diuinæ hyposta-
seos

seos societatem euectus. Tum & in fluuium maximum, aquasque plurimas redundauit, in gratiarum fluenta, meritorumque per Sacramenta à Christo Domino instituta, in mortales largissimam profusionem; in flumina Baptismi, ac Pœnitentiæ, ceterorumque Sacramentorum, quibus & ab omni peccatorum sorde maculaque repurgamur, & diuinarum æquè veritatum vti solis clarissima luce collustramur, vt hîc illud Dauidis experti, maxime comprobemus: *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Hic ille fons est, de quo Zachar. Vates, *In illa die erit fons patēs domui Dauid, & habitantibus Ierusalem, in* Cap. 13. v. *ablutionem peccatoris & menstruata.* Alter à Baptismo fons est Pœnitentiæ Sacramentum, à Christo Domino institutum merito eius cruoris, quem à Sanctissima Matre primitus hausit, dum ex eo sibi corpus effinxit quod nostræ salutis ac redemptionis causâ dirissimis tormentis, & atrocissimæ morti crucis obiecit, dumque eum vniuersum sanguinem cum vita profudit, quem nobis in

Ecclesia, & Sodalitate, domo David spiritali, quotidie per Sacramentorum almeos impertit atque communicat; hunc ipsum cruorem B. Mater in salutem nostram Augustissimæ Trinitari sæpè litavit atque obtulit, ardentissima nostri charitate, cum maximè ad crucis filij morientis pedem assisteret, isque de manibus ac pedibus, postque latere demortui distillaret diuinus cruor, eum nobis salutarem euenire bene precata est. Ac sæpè aliàs in omni vita & opere redemptionis, quod Saluator ex omni rigore iustitiæ, merito quod vocant de condigno, perficiebat, ipsa vt clientibus suis illud impertiretur re ipsa, & vberè cum gratiarum copia, summo quodam merito congruo atque impetratorio procurauit. Quare, vt ceteri redemptionis Christi fructus, sic & Pœnitentiæ, reliquorumque institutio Sacramentorum ad Deiparam quoque secundum filium, in re quodam optimo referri potest, cum præsertim auctoritas omnis, valor & potestas, effectusque Sacramentorum, ex hac diuini cruoris, quem Saluator à Virgine

gine

gine Matre mutuatus est, prima veluti
 fcaruriginē dimanarit. Patet igitur hic
 fons pœnitentiæ, domui Dauid, hoc est
 familiæ Sodalitatiq; Deiparæ, quæ decus
 est & ornamentum stirpis Dauidicæ; &
 habitantibus Ierusalem, Sodalibus paca-
 tæ tranquillæque conscientia: quorum
 tamen iustitiæ non possunt non multis
 respergi maculis, non multis non inqui-
 nari sordibus aduentitijs, cùm sint tam-
 quam pannus menstruata. Ecquis enim
 ex hoc sæculi luto ac cœno sordes non
 contrahat? ecquis assidua contrectatio-
 ne verset picem, & non inquinetur ab
 ea? itaque quotidiano propè egemus la-
 uacro pœnitenti. Sed Virginis Matris
 Saluatorisq; eius filij beneficio patet
 hic nobis fons pœnitentiæ, cuius nō mo-
 dō summam præbet Sodalitas opportu-
 nitatem, sed eius crebrò frequentandi
 suis necessitatem legibus imponit. Sanè
 quoties ad sacrum hoc pœnitentiæ tri-
 bunal nos sistimus, ita cum animis no-
 stris reputare debemus, quasi ad preuo-
 sissimū diuini Saluatoris balneum cruo-
 ris accederemus, ad immergendas in eo

fœda peccati lepra coopertas animas
 nostras, ad eas ægras letifero concupi-
 scientiæ languore percurandas, ad eas-
 dem egentissimas, Christi meritorum in-
 finito thesauro locupletandas & exor-
 nandas. Aut si quis hoc diuerso genere
 contemplationis magis oblectatur, per-
 suadeat sibi sacerdotem, qui vice Chri-
 sti fungitur, qui personam eius sustinet,
 hoc in munere dum ex formula sacra
 profert absolutionis verba, animam
 suam respergere diuino Christi cruore,
 quasi de manu sacerdotis in suū caput di-
 uinus is stillaret cruor, qui de B. Matris,
 vti dixi, fontibus profluxit, & ab ea sum-
 ptus diuinæ Verbi hypostaseos in creata
 sanctitate sanctificatus, omnem sanctifi-
 candarum animarum vim habet ac po-
 testatem. Mihi Pœnitentiæ Sacramētum
 videri solet illa piscina probatica, quam
 S. Ioannes describit quinque porticus ha-
 bens, in quibus iacebat multitudo ma-
 gna lāguentium, cæcorum, claudorum,
 aridorum, expectantium aquæ motum.
 Verū illic vnus dumtaxat ex omni nu-
 mero curabatur, hīc quotquot in eam
 Chri-

Cap. 5. 1.

Christi meritorum sese immergunt piscinam Pœnitentiæ, sanitatem cōsequuntur. Nec expectandus, certo tempore rarissimus motus aquæ per Angelum, qui nō quoties ægri vellent, sed quoties Deo collubitum esset, ad eam commouēdam è cælo descenderet; cū semper ad audiendos ægros pœnitentes confideant expositi terrestres Angeli, Christi vicarij Pœnitentiæ administri, ipsisque eis præstò semper assistat summus Angelus noui testamenti, suam eis diuinam virtutem impertiens. Est verò piscina probatica, quòd ex Agni qui tollit peccata mundi, profuso sanguine vim eam salutarem sortiatur, quinque porticus habens, vel è quinque corporis sacratissimis plagis seu fontibus gratia profluente, constans, vel quinque præcipuarum exercitatione virtutum, fidei, spei, charitatis, humilitatis, pœnitentiæ seu iustitiæ, quibus ægri sese ad sanitatem comparent: fidei, qua datã Ecclesiæ clauium indulgēdi peccata potestatem certissimè credant; spei, de consequenda venia si culpam agnoueris, cū apud cetera tribu-

nalia confessio rei certa sit prærogatiua
 damnationis; charitatis, in elicienda cō-
 tritione, & dolore ob Deum offensum
 vehementissimo; humilitatis, ad homi-
 nis mortalis pedes sese abijciendo, eiq;
 sese totum aperiendo; iustitiæ & pœni-
 tentiæ, satisfaciendo dum aduersum se
 reus actoris quoque & accusatoris, imò
 & testis, adeoque & licetoris carnificisq;
 partes agit, dum à semetipso pœnas exi-
 git, & suum in se crimen haud mediocri
 sponte suscepta vindicat austeritate pœ-
 nitiæ. Qui sanè fructus eximij Sacra-
 menti Pœnitiæ, ad illud frequentan-
 dum incitare nos magnopere debent.
 Inambulandum nobis crebrius in hisce
 sacris porticibus, vt sanitatem animæ
 perfectam è probatica Christi sanguinis
 piscina consequamur. Sunt & alij pœni-
 tentiæ frequentius vsurpatæ fructus sin-
 gulares quos indicat Apostolus: *Regnum*
Dei, quod nempe pœnitentibus pro-
mittitur, iustitia pax, & gaudium in Spiri-
tu sancto. iustitia in gratia sanctificatio-
 nis, quæ semper augetur, infusa & aucta
 Dei charitate, cæteri que virtutibus que
 illam

Rom 14.
 27.

illam comitantur, cui sempiternæ gloriæ merces ex æquo est responsura. pax vti præmium victoriæ, quam de se quis, tribusq; hostibus capitalibus, peccato quod penitus extinxit, cæcæ dæmone quem fugauit, passione ac perturbatione quam sedauit, & in rationis gyrum egit, confitens gloriosè retulit. gaudiū, quod propitiato diuino Numine cōscientiaq; tranquillata nanciscitur. de quo Dauid: *Au-* Psal. 50.
10.
ditui meo dabis gaudium, vbi formula absolutionis insonuerit, & *exultabunt ossa humiliata,* quæ peccati pōdere velut oppressa, pœnitentiæ merito exfuscitata reuiuiscunt ac reflorescunt. Igitur *benedic* Psal. 102.
v.1.
anima mea Domino, & Domine meæ Sanctissimæ Matri, cui secundū filium ascribi debet hoc beneficium, & *omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius,* Iesu diuinissimo, & suauissimo Mariæ. *Benedic* v.2.
anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius, optimi vtriusque salutis tuæ parentis, qui per hoc Sacramentum v.3.
propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, non modò cōfessis, sed & obliuione præteritis; si culpa grauior non intercesserit.

Quis

Qui sanat omnes infirmitates tuas, vitiorum languores, prauarum consuetudinū non planè obductas cicatrices, sinistrarum affectionum prurientes adhuc reliquias.

v. 4. Qui redimit de interitu vitam tuam, sempiternæ mortis ac damnationis interitu, quem secum peccati culpa trahit. Qui coronat te in misericordia & miserationibus, dum suppetias fert ad victoriam de tētionibus referendam, ad cōstantiam tenendam, & perseuerantiam in rectè factis ac meritis, quibus repēdenda est cælestis gloriæ corona iustitiæ.

v. 5. Qui replet in bonis desiderium tuum, in bonis gratiæ, charitatis, virtutum, solationum ac gaudiorum spiritualium. Renouabitur vt aquila iuuentus tua, depositis exuijs Adami veteris in Christum nouum hominem transformatus in nouitate vitæ, ad Christi Domini & Sanctissimæ Matris perfectam virtutum imitationem, & beatam aliquando societatem, velut diuinarum harum aquilarum generosus pullus euolabis.